

tulisse tantum, ut fidem centurionis hac admirationis specie commendaret et nobis mirandam proponeret. Ergo sicut nutrix balbutit cum infante, ejusque infantiae se accommodat, quomodo eum interim erudiat, soletur et excitet: ita Christus egit nobiscum, et docuit hoc gestu nos non mirari ea, quae miratur mundus, thesaurus, opes, honores, artes, regna, aedificia, etc. sed fidem et virtutes, quae naturam superant, eaque sola magnificare. Monstrabat aliquando discipulus Christo splendorem templi Jerosolymitani: *Magister, inquit, aspice quales lapides et quales structurae!* Sed Christus haec nihil miratus, imo veluti ridens respondit: *Vides has omnes magnas aedificationes?* Deinde serio subdit: *Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruetur*, Marci XIII. Nimirum: *Volebat homines, inquit Abulensis, totaliter trahere ad spiritualia, et illa sola magna et bona judicare: et ideo ut ostenderet illud nihil esse coram Deo, dixit penitus esse destruendum.* Saepius viderat templum Christus, sed curiosius non intuebatur nec mirabatur ejus decorem, quia nihili faciebat. Ingrediebatur et egrediebatur, quasi non videret. Sic nos oportet transire per hunc mundum. Porro in caelum Christus saepius suspexit, ut doceret nos caelestia sola mirari et magni facere. Sic fatuus quidam minime insipiens principi suo ostentanti legatis quibusdam palatii sui structuram, ostendisse fertur caelum ac dixisse: « Domine frater, tu aedificium tuum jactas; aspice vero caelum. Tu tuo aedificio columnas supposuisti ad illud stabilendum: caeli vero architectus ad tantam illam machinam nullis regit columnis: quare te longe superat et machinae tuae nugae sunt, » Pontan. p. II. art. bellar.

VII. Quomodo centurionis fides superavit fidem aliorum Judaeorum? Resp. superasse fidem eorum quos eousque repererat Christus, ex quo doceret et miracula facere coeperat. Unde excluditur fides B. Virginis, Joannis Baptistae et aliorum, qui post hoc tempus credituri erant. Caeterorum fidem vicit, vel quia minoribus paucioribusque signis credidit, in quo vicit apostolos; vel quia credidit Christum etiam absentem posse curari morbis, in quo vicit leprosum; vel quia gentilis erat, ignarus legis et Scripturae, in quo vicit hunc et illos vicit; vel denique, quia nullus tam dignam et honorificam fidei professionem reddidit, qua et Christum Deum credidit, et ut regem, omnipotentem, ubique presentem, etc. Timendum sane ne fidem nostram superent Indi, Chinenses et Japones alique novi Christiani, qui cum tanta fidei argumenta non viderint, quanta videmus nos, firmiter tamen credunt et melius vivunt.

VIII. Quid significant tenebrae exteriores? Resp. primo, ex communi sententia, significare infernum. Vocatur autem infernus tenebrae exteriores. Primo, respectu tenebrarum interiorum, quae sunt in animabus peccatorum et infidelium, partim hic, partim in inferno. Habent enim et damnati tenebras seu caecitatem in animo. Quod exemplo Philippi cancellarii Parisiensis confirmatur, qui post mortem apparuit cuidam episcopo asserens se damnatum ob beneficiorum pluralitatem, simulque rogavit, an mundus adhuc staret, cum tot quotidie in infernum descenderent; cui cum ille diceret, mirari se, quod hanc quaestionem moveret homo doctus, respondit cancellarius: *Ne mireris; apud inferos enim nec opus est, nec ratio, nec scientia, nec sapientia*, Cantiprat. l. I. apud, cap. XIX.

Secundo, respectu tenebrarum hujus mundi, quae subinde pelluntur a luce adventante. Illae vero extra hunc mundum positae nulla unquam luce perfundi possunt.

Tertio, respectu tenebrarum aliarum quarumcumque quia omnium maximae sunt; unde exteriores, id est, extremae dicuntur. Primo, quia infernus a sole remotissimus est, utpote in centro terrae. Ac licet ibi ignis sit, is tamen non lucebit, nisi ad videnda ea, quae dolorem augere possunt, teste S. Gregor. l. IX. moral. Secundo, quia murus inter infernum et lucem interest densissimus, terra videlicet plusquam mille leucarum seu 4000. milliarium Italicorum, a centro ad superficiem terrae.

Resp. secundo, significare infernum locum, omnium saevissimum, secundum Theophylactum in Matth. VIII. Ostendere enim vult Dominus, filios regni, qui non crediderunt Christo, vel non vixerunt sicut crediderunt, profundius damnandos; qua ratione etiam is, qui ad nuptias deprehensus fuit absque veste nuptiali, hoc est, inter Christianos non vixit christiane, mitti jubetur in tenebras exteriores. Confirmatur hoc ex vita S. Macarii Alexandrini, apud Sur. tom. I. qui dum aliquando per Scythiaticam solitudinem deambularet, calvariam hominis humi jacentem conspicatus, cepit per Christum Jesum obsecrare et interrogare, cujus fuisset dum viveret, quove nunc in loco animus quondam inhabitator suus degeret? Grande miraculum! Aridum os carneque et nervis nudum prorupit in vocem, ac se gentilem fuisse proximique vici indigenam respondit: nunc vero in foveam barathri infernalis tam alte retrusum angustiari, quam procul a terra distet caelum. Sed etiam se inferius, corruere Judaeos incredulos, et ipsis numeris haereticos christianos, qui revelatam di-

vinitus veritatem mendacibus pervertere sententias moluntur. Nemo igitur sibi blandiatur solo nomine Christiani, sed hoc ipso potius timeat et vivat christiane, ne alioquin cum filiis regni ejiciatur in tenebras exteriores.

IX. Quid fletus et stridor dentium? Resp. primo, secundum Hieronymum. in Job, cap. XXIV. et August. lib. de triplici habitaculo, cap. II. significare duo principalia tormenta inferni, frigus intolerabile et calorem ignis inextinguibilem, juxta illud Job XXIV. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Idque declarat Hieron. Matth. X. ex febrium similitudine, in quibus ex flavæ bilis abundantia intolerabilis rigor praecedit calorem ardentissimum secuturum. Ad haec ex Galenae in prognost. Hippocratis commentar. cap. XXI. si stridor dentium cum ardore febris conjungatur in aegro, insaniam significat ac mortem. Quanti igitur tormenti indicium esse putas, in mediis ignibus stridere dentibus? Secundo, fletum denotare poenam damni, juxta id Juvenal. satyr. XIII. *Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.* Flebunt enim quod fluxis et momentaneis voluptatibus emerint sibi aeternos dolores; quod tam vili pretio vendiderint aeternam suam hereditatem; quod tam misere et facile decepti; quod mundo frustra servierint tanto cum labore; quod tot bonas occasiones operandi salutem suam neglexerint; quod alia omnia fecerint, in uno aut altero tantum defecerint; quod toties moniti et redarguti non paruerint, etc. Stridor dentium poenam sensus notat, quae duae poenae fontes sunt poenarum aliarum. Alii fletum ad poenas praesentes, stridorem dentium ad futu-

ras, quas praevident aeternas, referunt. Alii fletum ad dolorem, stridorem referunt ad horrorem. Alii aliter haec exponunt, ut certum non sit, quid proprie significet hic loquendi modus. Certe voluit Dominus his verbis adumbrare maximam calamitatem tartarei illius carceris, quae tanta sit, ut verbis exprimi non possit. Quemadmodum enim stridet plaustrum, cum onere nimio premitur, ita et damnatis ob pressuram tormentorum stridebunt dentes.

X. Quid significat paralyticus? Resp. significare peccatorem. Primo enim, puer est, quia pro rebus vilibus et momentaneis perdit summas et aeternas: *Usquequo parvuli diligitis infantiam?* ait Sapiens, Prov. I.

Secundo, servus est, suarum scilicet cupiditatum, qui etiam vinculis peccatorum suorum constringitur.

Tertio, jacet in lecto deliciarum, caeno voluptatum et stercore peccatorum.

Quarto, paralyticus, quia carnem et passiones habet rebelles vitio depravatas, ita ut eas regere nequeat, attollere et movere, ad Deum scilicet, et animae suae salutem.

Quinto, torquetur male a peccatis, quibus servit, ambitione, avaritia, invidia, ira, gula, curis et anxietatibus, omniumque acerrime a conscientiae remorsibus.

Sexto, ad mortem aeternam tendit, quemadmodum et puer ille secundum Lucam morturus erat, nisi videlicet a Christo servatus fuisset. Ita et peccator ad infernum fertur cursu rapidissimo, ac nisi a Dei gratia retineatur, ibit certo certius.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

SERVORUM ET DOMINORUM MUTUAE VICES.

I. Servi libere et sponte suum officium peragant. — II. Sint patientes laborum et injuriarum. — III. Servi sint fideles dominis suis. — IV. Servi sint expediti ad imperia exequenda. — V. Servi sint laboriosi.

THEMA.

Dico servo meo: Fac hoc, et facit. Matth. VIII.

Communis et antiqua est querela dominorum et dominarum contra servos et ancillas: et vicissim horum contra illos, quod officio suo de-

sint; nec facile est reperiri aliquos, qui hac in re nihil prorsus habeant querelae. Hodie, Deo laus sit, arbitror me reperisse talem herum et talem servum, qui contra sese invicem nullas habeant querelas: centurionem videlicet, ejusque servum aegrum. Queri contra servum centurio non poterat; quia, ut ait S. Lucas, cap. VII. *Erat illi pretiosus.* Queri etiam contra herum servus non poterat; quia de ipsius salute herus, patris instar sollicitus, Christo tam demisse tamque impense supplicavit. Habent ergo servi, habent et domini praeclearum hic exemplar, ut sibi mutuas vices reddant. Cujus rei typum nos hic exponemus.

Ab antiquis pingebatur servus bonus hoc schemate. Pileum in capite gerebat rubrum, aures habebat asininas, dexteram manum explicatam, pedes ærvinos, interula vestitus.

I. Pingebatur rubro pileo, quo monebatur liberali esse ingenio, nihil facere coacte et ex timore, sed ex amore libere et sponte. Pileus antiquis libertatis insigne erat, unde ad pileum vocare, erat ad libertatem vocare, et servi manumisso raso capite pileum gestabant, auct. antiq. Rom. lib. I. c. XX. Servi christiani non jam sunt mancipia, qualia fuerunt apud gentiles, sponte enim et mercede conducti serviunt; non ergo cogi minis et verberibus eos decet, neque id eis expedit. Sibi enim tales et hero molesti sunt. Hero, quia ipsi fastidiosum est omnia nimis extorquere. Quid enim capiet venator canibus invitit? Nulli agri jam male coluntur, quam qui coactis subditorum operis coluntur. Sibi quia heros irritant, et plagas sibi accersunt; quod maximæ est stultitiæ. Unde Philo, apud Corn. in Eccl. cap. XXIX. ait: *Nemo tam insanit, quam qui servus cum sit, domino adversatur.* Cogitur enim plagis idipsum agere, quod poterat sine plagis. Hinc Hebræorum præfecti flagellati sunt a Pharaone, quia negligenter, utpote inviti et coacti, urgebant fratres suos ad laborem, Exod. V. Contra qui prompto et liberali animo serviunt, et sibi et hero consulunt. Tales erant illi trecenti decem octo vernaculi Abrahæ, Gen. XIV. *expediti*, ut vocat eos sacer textus, quos recensuit Abraham, ad persequendos quatuor regum copias; quas etiam licet numero longe superiores fugavit, et prædis suis spoliavit. Non delegit in pugnam externos, sed solum domesticos, ut sponte ac benevole pergerent ad pugnam, utpote pro domino suo certantes, ut observat ibi Chrysost.

Verum ut habeant domini expeditos tales servos, debent etiam ipsi expediti esse ad remuneranda eorum servitia, ad solvenda stipendia, aliaque humanitatis obsequia ægrotis et senio confectis exhibenda. Insinuavit hoc quidam domino suo, apud Plut. in vita Periclis, ægre ferens se a rege nec gratia, nec beneficiis foveri, cti semper aderat a consiliis. In lecto enim decubuit, ac Pericli percontanti, quid opus haberet, addidit: *Lucernam oleo quidem affatim infuso ali oportere*, nimirum bonum consiliarium, qui lucernæ instar regi suo luceret, gratia, beneficiis et censu, aliisque officiis nutriendum esse.

Jam vero sunt quandoque domini, qui servorum quidem, dum sani et vegeti sunt, obsequiis utuntur strenue; ægrotos vero aut senio confectos expellunt aut deserunt, ut ille Amalecita, I. Reg. XXX. qui dereliquit servum suum in agro,

quia ægrotare cœperat. Similes unguentario set pharmacopolæ, qui herbas quidem contundit, aut ex illis admoto igne stillatitium humorem exprimit; postea exstuccos et arefactos in sterquilinum abjicit. Utuntur servis sicut pila, quam perpetuo jactant, excutiunt, reperiunt, mittunt per aerem et remittunt, versant et revertant, donec rumpatur, postea etiam abjiciunt. Sic lusit cum Jacob Laban, Gen. III. postquam ejus opera ad pascendos diu noctuque greges per viginti annos usus et ditatus est, postea oblique eum aspicere, persequi et objurgari cœpit.

II. Cum auribus asininis, quibus et monebatur, ut esset patiens laborum, increpationum, minarum ac verberum: audiret etiam multum et parum loqueretur, nihil obloqueretur, juxta illud Philonis: *Servi audire potius quam loqui debent, ad quos nimirum dicitur: Tace et audi.* Sic enim et asinus patientissimum est animal, tum verberum, quam onerum. Hinc asino comparatur servus, Eccles. XXXIII. *Cibaria, et onus, et virga asino: panis et disciplina, et opus servo.* q. d. debet servus existimare se esse heri sui asinum, itaque pane seu exiguo pabulo contentus esse, nec onera recusare, nec contra verbera calcitrare aut obmurmurare. Beatus ille servus, qui se talem asinum hero suo exhibet; illum enim ego cum Franc. Costero, viro percelebri in concione hujus domin. pro cœnobita quodam sæculari censendum arbitror. Abbas Nestero intrans monasterium sibi dixit: *Posthac tu et asinus unum estote*, indicans religiosum debere esse instar asini, patientissimum, similiter ergo servis dico: Estote sicut asini, et eritis quasi religiosi. Communiter enim servi sunt pauperissimi: sunt et plerumque cælibes: quod si etiam obedienter sint, quia nisi tria quasi religiosorum vota habent? Hinc etiam viri quidam saneti in servitute vendiderunt seipsos, uti S. Paulinus episcopus, et Petrus Telonarius. Quare si in tam felici et sublimi, securoque statu sunt, nonne sibi gratulari debent? Et quomodo non omnia libenter pati ac devorare poterunt, si se religiosi persimiles esse intelligant? Cogitent ergo cum ab heris audiunt omnis generis contumelias et imprecationes, si veluti asinos eas non intelligere, sed audire ac ferre omnia debere.

Verum decet ut vicissim heri non abutantur nimia servorum patientia, nec contempte eos tractent. Cogitare enim debent ipsos sibi natura et fide, cœlique hæreditate æquales esse, et ut jure eis timendum, merito et cœlesti mercede forte superiores. Longe enim operosius est obedire, et ad omnes dominorum nutus se accom-

modare quævis onera sufferre, contumelias et verbera tolerare, quam imperare, et servos objurgare. Contigit quandoque ut heri subjicerentur servis suis. Audi Senecam, epist. XLVII. *Stare ante limen Callixti dominum suum vidi, et aliis intrantibus excludi.* Si hoc in terra factum, cur non fieri queat in cœlo? Decet etiam ut servorum auribus, plerumque rudibus adeoque asininis herus instillet disciplinam, eos erudiendo in rebus præsertim ad salutem pertinentibus; quod fecisse Abrahamum servis, Saram vero ejus conjugem ancillis, Hebræorum traditio est, quæ indicatur, Genes. XII. § V. ubi Abraham dicitur fecisse animas, Chaldaice, *legi subjecisse*, servos scilicet suos a gentilitate ad veri Dei cultum convertisse. Certe gentilis etiam Cræsus ipse docendis instruendisque servis præerat, dicens: *Domino maxime convenire curam servorum, qui rei domesticæ animata sunt instrumenta*, teste Plut.

III. Dexteram manum explicatam habens, ad indicandam fidelitatem, quam hero præstare debet. Nihil est quod magis servum domino commendet et amabilem reddat, quam fidelitas. Ob hanc in Josepho animadversam Putiphar ejus dominus credidit ipsi universam domum et substantiam suam, ita ut nihil curaret aut nosset in domo præter mensam. Et rursus ibi Joseph per calumniam in carcerem detrusus est, custos carceris visa ejus fidelitate, credidit ei claves carceris, et vinctos omnes, omnemque administrationem, Genes. XXXIX. Quæ sane maxima laus Josephi est, quam promeruit, ut heros haberet sibi addictissimos. Poterat utique Joseph seipsum e carcere eximere, cui potestas super alios vinctos data est; sed ne herum suum, si ipse fugeret, discrimini vitæ exponeret, maluit in carcere hæerere. Magnam etiam laudem promeritus fuit Gesvaldus servus Remoaldi regis obsessi in urbe Benevento a Constantino imperatore II. hæretico. Is ab hero missus ad patrem Grimoaldum Longobardorum regem pro auxiliariis comparandis copiis, in via redux ab hoste interceptus est. Qui cum responsum ferret patrem filio cum exercitu ad succurrendum venire, jussus est ab hoste, sub interminatione mortis, filio Remoaldo, domino suo contrarium nuntiare. Verum ille ductus ad murum urbis, evocato domino suo rei veritatem lætum scilicet adventantis succursus patris fidelissime retulit; licet sciret se propterea mox mactandum esse, uti factum, Hector Pintus, dialog. I. de tranquillitate vitæ, c. XX. Fulgos. I. III. capit. VIII.

Debent vicissim domini ut fideles habeant servos, se ipsis comes et benevolos exhibere, uti

fecit Putiphar, et custos carceris Josepho. Et quo honore accepit Assuerus rex Persarum servum suum Mardocheum pro fidelitate sibi præstita, qua duos insidiatores regis ei detexit? Nonne diademate ornatum, regio equo imponi, et a primario principe per urbem circumduci, eumque velut semetipsum honorari jussit? Esth. VII. Nonne id obsequium servi in annales regios relatum fuit? Bene ergo docuit Eccles. cap. XXXIII. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem tuum sic tracta illum: quoniam in sanguine animæ comparasti eum: (hoc est, quoniam tamquam anima tua indigebas eo, ut explicant Græci) si læseris eum injuste, in fugam convertetur.* Quinimo multi servi ob herorum in se sævitiam, vel hero vel ipsis desperabundi gravissima damna inferunt. « Luctuosum hoc ævo in Hispania factum audimus, (inquit P. Cornelius in eum locum Ecclesiasticæ). Servus dure ab hero tractatus, hero absente proles ejus omnes parvulas in solarium abduxit, foresque oclusit: hero domum redeunte, foresque pulsante, minanteque servo, quod aperire tardaret, servus per fenestram prolem unam illi ostentans: Quid mihi, inquit, dabis pro prole hac tua? Indignante hero et frendente, servus prolem ex alto præcipitavit et occidit. Idem fecit secundæ, tertiæ, et cæteris, (frustra jam precante hero, et omnia pollicenti, ut iis parceret) ac tandem seipsum præcipitem dedit. Disce, inquit, benigne servos tuos tractare. »

IV. Pedes habens cervinos, ut sit celer et expeditus in exequendis heri mandatis. Tam conveniens est hæc servo virtus, ut servi *currentium* nomine appellentur, III. Reg. I. ubi dicitur Adonias fecisse sibi currus et equites, et quinquaginta viros, qui ante eum *currerent*, h. e. famulos. Plerumque etiam servi et ancillæ quoque currentes inducuntur in ss. litteris; uti puer Moysis, Num. XI. puer Heli, I. Reg. III. puer Jonathæ, I. Reg. XX. Giezi puer Elisæi, IV. Reg. VIII. pueri Susannæ, Dan. III. puella matris, Act. XII. Gloria tur etiam de hoc dono sibi a Deo collato David, Ps. XVII. dicens: *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum et super excelsa statuens me.* Quando scilicet cucurrit adversum Philisthæum, et occidit illum; ex quo facto in tantam existimationem evectus est, ut tandem in throno regio collocatus sit. Hocque est, quod Prov. XXII. dicitur: *Vidisti virum velocem in opere suo? Coram regibus stabit, nec erit inter ignobiles.* Vicissim vero domini currentibus ei promptis famulis calcar aut scuticam non debent admovere. D. Augustinus, lib. I. de serm. Domini in monte, cap. XXXVI. ait: *Non oportet Christianum sic possidere servum,*

quomodo equum : quamvis feri possit ut majori pretio valeat equus quam servus. Olim apud Germanos verberare servum, aut vinculis coercere nefas existimatum est, teste Tacito, lib. I. de moribus German. Hadrianus etiam imp. Umbriam matronam in quinquennium exilio muletavit, quod nimis crudeliter sæviret in ancillas, apud Oct. Tufo in Ecclesiasticum, cap. VII. Crediderunt quoque ethnici pestem Romæ grassatam, quod pater quidam familias servum sub furca cæsum medio egisset circo, tum cum ludi magni pararentur, Livius, dec. I. l. II.

V. Eleganti vestitus interula, quæ indicabat servum debere laboriosum esse. Laborantes enim vel sola induti interula sese calefaciunt, magisque ad laborem apti et expediti sunt : vestibus onusti ignaves se demonstrant. Scimus id apostoli II. ad Coloss. V. *Si quis non vult operari, non manducet*, quod maxime in servos quadrat. Laudem in hoc meruit servus ille Abrahæ missus in Mesopotamiam, qui ibidem hospitio exceptus in domo Rebecce, appositum sibi panem non prius attingere voluit, quam negotium domini sui, propter quod missus fuerat, exponeret, Gen. XXIV.

Tenantur vicissim heri servis suis victum necessarium subministrare una cum mercede justa. Si enim in veteri Testamento, Levit. XXV. præcepit Deus ut os bovi trituranti non ligaretur; quo nimirum dum laborat, sumere pabulum queat, multo magis hoc præceptum voluit hominibus, ne heri servis suis necessarium victum detraherent. Unde Tertullianus, lib. II. contra Marcion. capit. XVII. ait : *Bovi terenti vincula oris remittuntur ad fructum præsentis laboris : quo facilius in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur*. Tenantur etiam laboribus non nimium premere servos, sed permittere eis subinde suas respirationes ac tempus vacandi Deo et orationi; ne similes fiant Pharaoni, similemque sortiantur exitum; ac ne cogant servos rapere sibi, non solum quæ ipsis debentur, sed etiam quæ non debentur, uti contigit Ægyptiis, quorum vasa aurea et argentea, quasi mutuo accepta, abstulerunt secum Hebræi ex Dei donatione, et juxta Ægyptiorum punitione. Fuit talis Pharaonissa erga servos conjux Sancti Gummarii, viri prænobilis et sancti, præfecti Rhemensis sub Pipino rege, nomine Grimaria, quæ eductos ad messem domesticos, cum in solis ardore siti æstuant, non permisit vel paulisper abire, ut ardorem sitis restinguerent; sed mulier crudelis delassatos urgebat ad labores. Adventans S. Gummarus, ubi querelas laborantium audivit, conjugem objugavit, bacu-

loque terram fodit, unde fons prorupit, qui recreavit æstuantem. Porro uxor domum regressa mox talionem sensit, et intoleranda siti cruciari cœpit, nec potuit ardorem ejus aqua extinguere quin potius aqua potata sitim magis accendit et nutrit. Sentiens ergo mortem sibi imminere, viri opem invocavit. Qui signo crucis quidem eam corpore sanavit, animum tamen sanare non potuit, ut in ejus vita, octobr. apud Surium

Hæ sunt, auditores, virtutes principales tam boni servi, quam boni domini. Neque dubito tales fuisse centurionem velut dominum, ejusque servum in hodierno evangelio. Erat enim servus æger ipsi pretiosus, ut ait Lucas, cap. VII. ac proinde in suo munere exactus ac præstans : dominus vicissim præstitit se ipsi non tam herum quam patrem, dum pro ejus salute tam sollicitus, misit ad Christum legatos, ipseque demum supplex venit ac rogavit. Quæ duæ res absque dubio moverunt inter alia Christum Dominum, ut eorum preces exaudiret; quod utique etiam aliis contingeret tam servis, quam heris, si vestigiis illorum insisterent, etc.

CONCIO II.

POTENS ORATIO CENTURIONIS.

I. Per internuntios, Christi amicos postulat. — II. Maxima cum fide erat. — III. Maxima cum humilitate. — IV. Cum consilio et modo.

THEMA.

Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Matth. VIII.

Qui exire ad præliandum volunt, ducem aliquem, quem sequantur, habere debent. Hinc Hebræi præliaturi contra Chananæum, mortuo Josue, interrogant Dominum : *Quis ascendet ante nos contra Chananæum, et erit dux belli?* Quibus respondit Dominus : *Judas ascendet*, Judic. I. Nos quando communes aliquas preces et supplicationes instituiamus, quasi cum exercitu et potentia cælum expugnare volumus. Ut ergo feliciter præliemur, duce indigemus. Quis vero ille erit? Opportune offertur nobis centurio in hodierno evangelio, homo militaris et capitaneus, qui et ipse tamen non gladio aut hasta, sed insigni oratione Christi pectus expugnavit, seroque suo paralysis discessum salutemque impetravit. Hunc ergo ducem nos jure merito amplectimur et sequimur. Neque dicat aliquis quod non possit Christianus eo modo orare quo gentilis homo, isque militaris oravit. Quare videamus orando nos præeuntem.

I. Videte stratagemam, quod centurio excogitavit. Cum esset homo gentilis, non ausus accedere ad Christum, tantæ sanctitatis prophetam, mittit ad eum prius seniores Judæorum. Deinde cum audiret Christum ad se descendere, mittit ei amicos rogans ne se fatigaret ulteriori progressu, sed verbo tantum sanaret filium, uti scribit S. Lucas. At cum Christus ulterius pergeret, occurrit ei demum, et ipse rogans idipsum, quod habet Matthæus, sicque exponunt probabiliter Græci, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Docet ergo nos imprimis agnoscere nostram vilitatem, et præmittere loco nostro ad Deum sanctos, jam in gloria existentes eo quod reputemus nos indignos, qui cum Deo loquamur, egere itaque mediatoribus Deo conjunctis; quod sane Deo displicere non poterit, uti fingunt hæretici. Cuculi, quod volatu parum valeant, milvorum scapulis suscepti, utpote milvis non valde absimiles, ut scribit S. Isidorus, l. XII. etymol. c. VII. ad nos transvolant. Ita et nos precum vigore et propriis meritis, quemadmodum et orationis cantu, parum validi et instructi, quid mirum si in alas sanctorum inscendamus, et ad Christi faciem perveniamus? *Debent tamen illi in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscere, ut pro nobis dignentur Domino supplicare*, (ait S. August. serm. XXX. de sanctis) (adeoque in alas suas nos suscipere : sicut recognoverunt in centurione Judæi dicentes : *Diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis*, quasi dicerent : Etsi Judæus non est, amicus tamen est noster, et non absimilis nobis est in Dei cultu et amore servorum ejus. Si ergo diligamus sanctos, si eorum templa amemus, ornemus, frequentemus, ædificemus, erunt absque dubio nostri advocati.

Quis credat etiam aves, sanctorum oratione fuisse adjutas? Testatur sane id Cæsarius ex ord. Cister. in suis historiis, l. X. c. LVI. « Matrona quædam (inquit) beatum Thomam Cantuariensem plurimum diligens, assiduis infirmitatibus laborabat, et cum doloribus angeretur, eundem martyrem his verbis invocabat : Sancte, Thoma, adjuva me. Habebat autem nescio ejus generis aviculam, quæ ex assiduitate audiendi, eandem absolute satis proferre didicerat orationem. Die quadam milvus extra domunculam eam videns rapuit et evolavit : in ipso raptu, dum unguibus illius avis premeretur, cunctis, qui aderant, audientibus, clamavit de aere : Sancte Thoma, adjuva me. Ut autem mirabilis Deus martyris sui merita gloriosa demonstraret, milvo, ut aviculam dimitteret, præcepit : quæ statim cum multa alacritate rediit ad dominam, et ille rapinæ suæ pœnam luens, mortuus cecidit

in terram. » Audivit nimirum S. Thomas non tam verba psittaci, quam pius affectum dominæ. Pari modo facile credo plus sæpe apud Deum posse sanctorum intercessionem, quam insulsam nostram orationem, quia instar psittacorum sæpenumero quid oremus, nescimus.

Deinde ipse etiam centurio humanitate Christi provocatus accessit, qui prius non ex fastu aut ignavia, sed ex humilitate audire Christum non audebat. Docet igitur homo adhuc gentilis nos Christianos, ut ne solis internuntiis et alienis precibus contenti rem confectam existimemus : sed ut nos ipsos etiam Christo sistamus nostris precibus. *Humilia enim respicit, et alta a longe cognoscit*, Psal. CLXIII. Unde colligit Augustinus in eum psalmum, centurionem sua humilitate citius pervenisse ad Christum, quam pedibus pervenirent ejus internuntii : *Fidelissima humilitate magis ipse accessit, quam illi, quos misit*, ait. Judas Macchabæus commissurus prælium contra Gorgiam, ait : *Clamemus in cælum, et miserabitur nostri Deus noster*; collatisque signis contritæ sunt gentes. Contra Lysiam dimicaturus oravit, et victoria potitus est, I. Macchab. IV. In duobus autem præcipuis bellis non legitur orasse : uno scilicet contra regem Antiochum Eupatorem, quo non vicit, sed divertit : altero contra Bacchidem et Alcimum, quo periit, I. Macchab. VI. et IX. Et tamen negari non potest, quin interea orarent pro eo totoque populo Onias sacerdos, et Jeremias propheta jam defunctus, ut habetur II. Macchab. c. XV. Unde cernimus non sufficere præcise sanctorum preces, nisi nostras adjungamus, saltem quoad possumus. Denique accessit corpore et animo ad orandum Christum : fide, humilitate, reverentia roborando orationem suam; ejusmodi comites et nostra requirit oratio.

II. Videte ejus fidem, tantam scilicet, ut eam Christus miratus sit dicens : *Non inveni tantam fidem in Israel*. Non enim existimavit necessarium esse, ut imponeret servo manum, vel ab eo tangeretur : sed absentis etiam verbum unum credidit esse ad hoc sufficiens. Magna fides et fiducia, nobis imitanda. *Quantum vos fiduciæ capacius afferimus*, ait S. Cyprianus, epist. ad Donatum, *tantum gloriæ inundantis haurimus*. Mensura fidei est mensura gratiæ, quod indicat Christus cum ait centurioni : *Vade, et sicut credidisti, fiat tibi*, quasi diceret : Statim verbo sano, quia sic credidisti. Multi dum desperare nimis de successu belli et salute reipublicæ catholicæ loquuntur, Deum magis irritant, et videntur optare, quod vaticinantur. Talibus, indignata Judith, qui post quintum diem volebant tradere civitatem Bethuliam, increpat eos graviter, quod nimium tentent